

06

A

970

I



5632
Cursus Philosophici

DISPUTATIO V.

De

CATEGORIIS.

PROPOSITA

In Alma VVitebergensi Aca-
demia

PRÆSIDE

Dn. IACOBO MARTINI;

Profess. Log. & Phil. Pract. Publ.

Respondente,

IUSTO DIDDENIO

Berolinensi Marchico.

*Ad diem 23. Decembris, loco &
horis consuetis.*



VVITEBERGÆ

Typis Johannis Gormanni, Anno 1616.

GALEGGORIS
IN ALMA VESTIBULORUM
DUM LA COUO PLURIS
IUSTO DIDDINO
Type Johannes Conradus Anno 1816





Curfus Philosophici

DISPUTATIO V.

Continuatio.

Modi prædicandi fuerunt: sequitur ut videamus subjectum, in quo illi fundantur & re-
tè efformantur.

Thesis I.



Continetur illud in *Prædicamentis*. Hæc enim quid sunt aliud, quàm classes, ex quibus materies prædicationum depromitur? unde etiam nomen acceperunt.

II. Materia prædicationis est *Ens*, quod dividitur in *Substantiam* & *Accidens*.

III. Divisio hæc Aristoteli tribuitur, Quandoquidem in ore omnium est:

Summus Aristoteles trutinando cacumina rerum

In duo divisit, quicquid in orbe fuit.

IV. Cum ergo, quicquid est in tota rerum natura, aut sit *Substantia* aut *Accidens*; *Substantia* quidem unum genus est; *Accidentium* verò novem: *Quantitas* ut *linea*, *parasanga*; *Qualitas* ut *color*, *virtus*. *Relatio*, ut *paternitas*, *dominatio*; *Agere*, ut *urere*, *verberare*; *Pati* ut *uri*, *verberari*; *Ubi*, ut *domi*, *hic*, *illic*. *Quando*, ut *heri*, *cras*, *perendie*; *Situs*, ut *sedere*, *genu flexum esse*; *Habitus*, ut *amictum esse*, *torquatum esse*, *pileatum esse*.

V. Istæ sunt decem rerum classes, quæ à Græcis *Categoriae*, à Latinis, non adeo latinè, *Prædicamenta* appellantur. Quicquid enim

enim de aliquo prædicari seu dici potest, id ad aliquam harum classium vel primariò, vel secundariò; vel Principaliter vel minus principaliter, vel per se vel per aliud; vel directè vel obliquè referri debet. Nam κατηγορεῖν, & prædicari & attribuere, & dicere de aliquo Philosophis idem sunt.

V I. *Substantia est Ens, quod per se subsistit, & sustinet Accidentia.*

V II. *Est vel prima ῥοία πρώτη, vel secunda ῥοία δεύτερα.*

V I X. *Substantia prima est ἄτομον Individuum, sive Substantia singularis, Aristoteli finitur quod propriè & principaliter & maximè substantia est; & neq; de subjecto dicitur, neq; in subjecto est, ut Socrates, hic homo, aliquis.*

V I X. *Substantia secunda est universale: Nempe sunt species, in quibus, quæ principaliter substantiæ dicuntur, insunt, & harum specierum genera, ut homo, & animal.*

X. Individua vocantur Primæ Substantiæ duabus de causis. 1. Quia sunt notiora nobis, τὰ κατὰ φύσιν τῶν κατὰ λόγον γνωριμώτερα, utpote quæ feriunt sensus nostros; utpote ex quarum hausta prius sensibus cognitione, generalitas deinde animo concepta colligitur, constituiturq; 2. Quia per se subsistunt: At secundæ substantiæ subsistunt in individuis, ut humana natura in singulis hominibus.

X I. Unde patet, definitionem Substantiæ magis convenire primæ substantiæ, quàm secundæ: Primamq; substantiam magis substantiam esse secundâ.

X II. Veruntamen si nobilitatem, quam respectu intellectus nostri habent, & ut conceptus objecti vi sunt, respicias, secundæ substantiæ sunt nobiliores, quippe quæ immutabiles sunt, & latius patent: illarumque, quia universales sunt, est certa cognitio, & circumscripta. Individua contra mutantur & intercidunt, eorumque numerus est infinitus, ac proinde non potest eorum esse scientia: Τὰ κατὰ φύσιν ἀπειρα καὶ ἀμετάβλητα καὶ ἀνεπίσητά.

X I I I. Substantia prima est propriè accidentium mutabilium & separabilium: Secunda verò inseparabilium & propriorum ut Philosophum, deformem, Atheniensem esse convenit magis

*Socrati quàm homini: At loqui, videre, docilem esse propriè de homi-
ne & primariò prædicantur; secundariò de Socrate.*

XIV. *Partes substantiarum, ut manus, pes; non sunt acciden-
tia in subjecto, sed partes in toto: quare etiam ad substantiæ
hanc categoriam referuntur.*

XV. *Secundæ substantiæ non sunt in primis; ut in subjecto,
sed sunt partes essentiæ sive definitionis primarum; vicissim
primæ substantiæ sunt in secundis instar partium materialium.*

XVI. *Substantiæ primæ hæc conveniunt. 1. Non esse in ullo
subjecto. Nam absurdum est dicere: Petrus est hic homo. Qui verò
dicit; Hic homo est Petrus, idem dicit de eodem; Nec hic homo est
subjectum Petri.*

XVII. II. *Esse equaliter substantias, Primarum enim substan-
tiarum nulla est magis substantia alterâ; Nec Alexander est ma-
gis substantia hoc corvo, vel Bucephalo.*

XIIX. III. *Vna eademq; sine sui mutatione apta est recipere con-
traria, ut aqua modo calefacit modo frigeat.*

XIX. IV. *Non habere contrarium; nec enim aqua est contra-
ria igni, sed frigus calori, humor siccitati.*

XX. V. *Non recipere magis & minus, hoc est, non intendi nec
remitti, Nam unus idèq; nō potest fieri magis aut minus homo.*

XXI. VI. *Non esse in subjecto, Sola enim accidentia in subje-
cto sunt, & ab eo & in eo esse suum obtinent.*

XXII. *Quantitas est secundum quam in partes quippiam di-
viditur: Estq; vel Continua, vel Discreta.*

XXIII. *Quantitas continua est cujus partes communi termi-
no copulantur: ut linea partes intermedio puncto eas continu-
ante. Est 1. Linea. 2. Superficies. 3. Corpus. 4. Tempus.*

XXIV. *Linea est longitudo sine latitudine. Superficies est
longitudo cum latitudine. Sub qua comprehenditur etiam Lo-
cus. Corpus seu moles est longitudo & latitudo cum profundita-
te. Tempus est mensura durationis rerum; Vel specialius & ve-
rius cum Aristotele, Est numerus motus secundum prius & po-
sterius.*

XXV. *Quantitas discreta est, cujus partes seorsim positæ non
continuantur, nec copulantur communi termino, seu quæ non
mensurantur, sed numerantur.*

XXVI. Hæ sunt quantitates per se: cætera sunt quanta per accidens; ut *concio, arbor, ager*, quæ quidem non sunt ipsa quantitas, sed habent quantitatem.

XXVII. *Oratio*, si pro *voce* sumitur est qualitas, vel actio; Si pro *numero syllabarum*, est numerus: Si pro *tempore* & productione tonorum est tempus, aut multa tempora: Sic *pondus*, si pro *gravitate* sumitur, est qualitas, si pro *mensura* artificiali, ut est *talentum*, aut *decem pondo*, pertinet ad numerum.

XXVIII. Quantitati conveniunt hæc. 1. *Non habere contrarium*. 2. *Non recipere magis & minus* 3. *Res per eam dici æquales, vel inæquales*.

XXIX. *Qualitas* est per quam res quales dicuntur; Cujus species quatuor sunt.

XXX. *Prima est Dispositio & Habitus*. *Dispositio* est habitus inchoatus. *Habitus* est qualitas comparata actionum frequentiam in subjecto habili, secundam quam subjectum, in quo firmiter hæret, promptum est ad actiones facile, & cum delectatione exercendas.

XXXI. *Secunda est Potentia & Impotentia naturalis*: Illa qua aliquid natura aptum est; Hæc qua ineptum est, ad aliquid agendum, aut patiendum; ut in *ventriculo* est potentiam naturalis ad *coquendum*: in *claudio* est impotentia ad *currendum*; in *balbo* ad *loquendum*.

XXXII. *Tertia est Patibilis qualitas & Passio*. Illa est qualitas activa in objectis nostrorum sensuum, quæ sensus nostros vel externos vel internos passione aliqua afficiunt: ut *dulcedo* in *melle*: *Calor* in *igne*, *amœnitas* in *oratione*. Effectus vero subitii & breves, quos ista in nobis efficiunt vocantur *passiones*: ut *rubor* ex *pudore*, *pallor* ex *metu*, *dolor* ex *ictu*.

XXXIII. *Quarta: Figura & Forma externa*; Hoc est externa species corporis. Hæc duo cum omnino idem sint, usus tamen obtinuit, ut *figura* tribueretur peculiariter corporibus *Mathematicis*: *forma* vero cæteris corporibus: Pertinet huc *gibbum esse*, *rotundum*, *acutum*, *asperitas*, *pulchritudo*, *deformitas*.

XXXIV. *Qualitatis* propria sunt 1. *Respicere contrariam*. 2. *Intendi & remitti*. 3. *Per eam res esse similes vel dissimiles*.

XXXV. *Relata* sunt duo, quæ constant mutua affectione: Hoc est, quorum alterum sine altero nec esse potest, nec cognosci; nec defini: ut *Pater, Filius, Dominus, Servus*.

XXXVI. *Relata* ejusmodi sunt perfecta, & vulgo appellantur *Relata* secundum esse: Inter quæ respectus mutuus vocatur *relatio*, ut *Paternitas, Dominatio*. Est ergo una *relatio*, duo *relata*, & duo termini *Relationis*.

XXXVII. Inter terminos illos fundamentalis is est, à quo *relatio* nominatur; ut in *filiatione* fundamentalis terminus est *filius*, in *Dominatione* *Dominus*. Paulò aliter se res habet in *equiparantijs*; ut sunt *Amicus & amicus, Rivalis & rivalis*; quorum fundamentalis terminus uterq; est; cum ab utroq; denominetur *Relatio*.

XXXVIII. Sunt etiam *Relata* quædam imperfecta; quorum uno quodam sublato, alterum tollitur, sed non vicissim: ut *Pastor & grex, visus & visibile*. Nam sublato grege & visibili, tollitur *pastor & visus*: sed visu & pastore sublato, illa non tolluntur.

XXXIX. Sunt quoq; *Relata* quædam rationis: quæ naturà non sunt *relata*; sed nostro duntaxat respectu & consideratione; ut *dextrum & sinistrum* in ripis fluminum; *Superius & inferius* in polis & in incolis terræ.

XL. *Relatio* tantum est inter duo. Multæ carent nominibus; ubi concedit Philosophus *ὀνομαστοποιεῖν* ut quæ est inter *socerum & generum, inter vitricum & privignum, dexterum & sinistrum*.

XLI. Omnis *relatio* hujus prædicamenti nititur alicui accidenti absoluto, quo mediante inest substantiæ: ut *magnum & parvum* dicitur ob quantitatem, *Amicus & amicus* ob qualitatem, puta benevolentia: *Pater & Filius* ob generationem: *Dextrum & sinistrum* ob situm.

XLII. *Relatio* itaq; quæ est in Deo, cum *Pater, Creator Dominus* appellatur, etsi realis est, non est tamen *relatio* hujus prædicamenti, quia non invenitur in Deo aliquod accidens absolutum Deo inhærens, quod sit fundamentum *relationis*.

XLIII. *Relatis* hoc convenit: 1. *Esse simul naturâ*: 2. *Converti & reciprocari*. 3. *Recipere contraria & magis & minus*: non per se & quatenus sunt *relata*, sed ob fundamentum.

XLIV. Sex posteriora prædicamenta à primis quatuor pendent. *Actiones* enim fluunt à formis substantiarum & qualitatibus activis: ut *calesfactio à calore*: & per *passionem* introducuntur formæ omnes qualitates: ut per *frigesfactionem frigus*. Pariter *Vbi & Quando*, etsi quantitates non sint, pertinent tamen ad quantitatem. *Situs & Habitus* magnam habent cum relatione cognationem.

XLV. *Agere* est exercere potentiam activam.

XLVI. *Actiones* sunt vel naturales, ut *motus gravium ad centrum*; vel voluntariæ, ut *digladiatio, saltatio*; vel mixtæ: ut *edere, ambulare*, quæ quidem per se naturales sunt, reguntur tamen à voluntate. Harum quædam minimum habent voluntarij: ut, *respirare*.

XLVII. Deinde *Actiones* quædam sunt univocæ cum agens producit sibi simile: Ut quando *homo generat hominem*: vel sunt æquivocæ, quando agens non producit sibi simile, ut *Sol quando animat simum*.

XLVIII. Diligenter hic verba actionem significantia sunt observanda. Non enim omnia, quæ sunt vocis ac formationis activæ apud Grammaticos designant actionem ut *AMO*, in Grammatica quidem verbum activum: *AMOR* passivum: Cum tamen revera is agat, qui amatur. Afficit enim amantem ac trahit: vicissim qui amat, patitur.

XLIX. *Actiones* recipiunt magis & minus, suntq; sibi invicem contrariæ: ut *Calesfactio frigesfactioni*; Non ex se, sed ob qualitatem, quæ per actionem introducitur.

L. *Pati* est recipere vim agentis: Hinc actio non est in agente, sed patiente.

LI. Agens & patients habent se ut relata. Nam actio, ut est respectus agentis ad patients, est relatio: ut verò est introductio formæ in patients, constituit prædicamentum. Priori modo Actio est inter agens & patients; Posteriori Actio est in patiente ut in subjecto, non ut in termino relationis.

LII. *Vbi* est designatio certi loci, ut in foro, hic, illic Differt à loco, quod de loco interrogatur per *Quantum*; ut *quantum loci occupat terra?* Hic vero quaeritur per *Ubi*: ut *Vbi mortuus est Pompejus In Ægypto*.

LIII. De corporibus utrumque quæri potest, & quantum loci occupent; & ubi sint: De spiritibus sive substantijs immaterialibus tantùm quæri potest, ubi sint. Non enim sunt in loco circumscriptive.

LIV. Quæ localiter moventur, propriè non moventur ad locum, sed ad UBI.

LV. Quando est designatio certi temporis. ut *Heri. Hodie*. Differt à tempore, de quo in *Quantitate*; quod illic quæritur per quamdiu, ut *quamdiu vixit Nestor*; Hic verò quæritur per *Quando*, ut *quando venit Phœnix in Ægyptum?* imperante Tiberio.

LVI. Rerum, quæ in tempore sunt, quædam mensurantur à tempore, ut quæ habent durationem successivam: quædam non mensurantur, ut quæ in momento fiunt, ut *illuminatio, mors*. De his quidem quæritur, quando facta sint, non vero quamdiu.

LVII. *Situs est* positio partium ad locum. Estq; vel Naturalis vel voluntarius. Is vel animatorum, ut *capitis sursum, ventris in medio, pedum deorsum*, vel Inanimatorum. *Voluntarius* vel etiam *fortuitus*, ut *sessio, statio, accubatio, situs pedum sursum*.

LIIIX. *Habitus* non hic sumitur pro veste aut paratu corporis, sed pro modo, quo adjacent corpori: ut, *torquatum esse, catenatum esse*. Atq; hæc sunt decem illa genera.

LIX. Cæterum non duntaxat ea ad prædicamenta pertinent, quæ directè in aliquo prædicamentorum includuntur, sed etiam, quæ secundùm aliquam proportionem & convenientiam ad ea reduci possunt.

LX. Talia sunt primùm, quæ etsi non sunt substantiæ aut quantitates, sunt tamen principia substantiarum, ut *Materia & Forma*; tum *Quantitatum* ut *punctum*, quod est principium lineæ; *unitas*, quæ numeri, *momentum*, quod temporis.

LXI. Deinde *privatio*, ut *forma substantialis*, reducitur ad substantiam: *Qualitatis ad Qualitatem*: ut *tenebræ* reducuntur ad

B

qua-

qualitatem, quia sunt privatio lucis, quæ est patibilis qualitas :
& nox ad actionem, quia est cessatio ab actione.

LXII. Tertiò ea quæ aliquid de natura categoriæ alicujus participant, & secundum quid operationem logicam admittunt ut Deus, etsi definitio substantiæ ei usquequaq; non conveniat, quia non subsistat accidentibus; sic etsi *συνώνυμος* cum creaturis non cohæret, adeoq; generis aut speciei formationem recuset; nihilominus quia in hoc convenit cum ea, quod per se subsistit, nec non, ratione trium personarum, ratio *συνώνυμος* generalis ipsi accommodari potest, Proportionaliter substantiæ categoriæ additur.

LXIII. Quartò omnia illa, quæ in postprædicamentis collocantur, remota & sublata ambiguitate: ut sunt 1. *opposita*, quæ sunt quadruplicia; vel enim opponuntur ut *ad aliquid*, vel ut *contraria*, vel ut *habitus & privatio*, vel ut *affirmatio & negatio*.

LXIV. *Ad aliquid* igitur opponi dicuntur, quæcunque hoc ipsum, quod sunt, oppositorum dicuntur: ut *dimidium* opponitur *duplo*, & ejusdem dupli dimidium est.

LXV. *Contraria* sunt, quæ sub eodem genere posita, maxime à se mutuo distant; se verò mutuò non constituunt, sed potius se tollunt & se invicem perimendi vim habent.

LXVI. Sunt alia *ἀμεσο* medio carentia, ut *egritudo & sanitas*; alia *ἐμμεσο* medium habentia; ut *album & nigrum*.

LXVII. *Privativè opposita* sunt, quæ quidem in eodem subjecto versantur; alterum tamen positivum tantum est, atq; propterea Ens, alterum vero non Ens; ut *visus & cæcitas*.

LXVIII. *Contradictoriè opposita* sunt affirmans & negans dictio, nempe quando una eademq; res simul affirmata & simul negata ponitur ut *homo, non homo*.

LXIX. *Secundo* sunt modi prioris; *Prius* enim aliquid altero dicitur 1. *Tempore*, quo aliquid alio vetustius est. 2. *Natura* prius id est, à quo non retrocom meat existendi consequentia. *Sic unum duobus prius est*. 3. *ordine*. 4. *dignitate*. 5. *causa effectui* prior dicitur.

LXX. *Tertiò* sunt modi *Simul*, Dicuntur autem simul 1. *Tempore*,

pore, ut quorum generatio eadem est tempore. 2. *Natura*, idque bifariam. 1. ut *Relata*: Deinde *species* ex æquo dividentes genus.

LXXI. *Quarto* sunt *species motus*. Refertur autem *Motus* ad ea prædicamenta, in quibus potest esse motus. Sunt autem quatuor. 1. *Substantia*, in qua *Motus* appellatur *generatio & corruptio*. 2. *Quantitas*, in qua est *Incrementum & decrementum*. 3. *Qualitas* in qua est *alteratio*. 4. *Vbi* in quo est *Propagatio & motus localis*, qui est omnium motuum primus & nobilissimus. *Hæc de Categorijs.*

F I N I S.



06 A 970

ULB Halle 3
004 545 079




56

1077







5132

Curfus Philosophici
DISPUTATIO V.
De
CATEGORIIS.

PROPOSITA
In Alma VVitebergensi Aca-
demia

PRÆSIDE
Dn. IACOBO MARTINI;

Profess. Log. & Phil. Pract. Publ.

Respondente,

JUSTO DIDDENIO
Berolinensi Marchico.

*Ad diem 23. Decembris, loco &
horis consuetis.*



VVITEBERGÆ

Typis Johannis Gormanni, Anno 1616.

